DISPVTATIO JVRIDICA

DE

IVRE REPRESSALIARVM

INTER

PRINCIPES IMPERII

Vom Rechte der Repressalien und der Wiedervergeltung so unter des Heil. Röm. Reichs Fürsten erlaubet ist.

PRAESIDE

JO. BALTHAS WERNHERO, D.

SAC. REG. MAI. POLONIARVM ET ELECTORI SAXON.
A CONSILIIS AVLAE ET IVSTITIAE, CODICIS
PROF. PVBL.
CVRIAE PROVINCIALIS, CONSISTORII ECCLESIASTICI,
SCABINATVS ET FACVLTATIS JVRIDICAE ASSESSORE

D. XIV. MARTII CI ƆCC XV

IN AVDITORIO MAIORI

H. L. Q. C.

PRO CONSEQVENDIS SVMMIS IN VTROQVE JVRE HONORIBVS

ET

PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

DISPVTABIT

IOHANNES GEORGIVS CONRADI

CVRIAE PROVINCIALIS ET CONSISTORII ECCLES. ADVOC. ORD.

VITEMBERGAE, RECVSA MDCCXLVIII.

6



SVMMA DISSERTATIONIS.

§. XIV. *Notatur Rhetius, & regula ab eo tradita limitatur.*

§. XV. *Respondetur ad Leges Imperii, quae obstare videntur.*

§. XVI. *Constitutionem Pacis Publ. Juri repressaliarum nihil obstare, evincitur.*

§. XVII. *Solvitur dubium, ex Instrumento Pacis petitum.*

§. XVIII. *Repressaliae non debent decerni, nisi ejus, qui laesus est, jus liquidum sit, & laesio alicujus momenti.*

§. XIX. *Constare etiam debet, justitiam civi denegatam esse; Ubi tamen non praecise probatio per testes vel documenta requiritur; sed aliquando conjecturae sufficiunt.*

§. XX. *Quibus repressaliae concedi debeant. An & Civibus assumtis, item Incolis, & Judaeis? Quid de peregrinis dicendum?*

§. XXI. *Objectum repressaliarum; Ubi primo de personis.*

§. XXII. *Deinde de bonis agitur.*

§. XXIII. *Quis modus in repressaliis exercendis servari debeat.*

§. XXIV *Repressaliae in proprios vasallos recte exercentur, quoties simul vasallagii jure illi Reip. quae laesionem intulit, obstricti, adeoque illius quoque cives & subditi sunt.*

§. XXV. *Finis repressaliarum exponitur.*

§. XXVI. *Qui per repressalias laesus est, regressum contra Civitatem suam habet.*

* * *

DE



DE IVRE REPRESSALIARVM INTER PRINCIPES IMPERII.

§. I.



ervulgatum est de Repressaliis argumentum, in quo magna pars interpretum, Juris Gentium æque, ac Civilis, elaborarunt. Quo magis mirum videri potest, illorum aliquos ne tangere quidem earum in Imperio Rom. Germ. usum, caeteros pene omnes paucissima de illo tradere, & plerosque id agere, ut hoc tam insigne jus, quod cum Superioritate Territoriali

cohaeret, Principibus omnino detrahant. Fons atque origo erroris eſt, quod vulgo ſibi Germaniam perinde, ut alias Civitates, concipiant, ubi Civibus non alia, quam judiciali via, injuriam acceptam ulciſci permittitur; adeo, ut qui ipſe ſibi jus dicit, & rem propria autoritate alteri auſert, juris ſui amiſſione coerceri, aut aliis poenis ſubjici ſoleat. Sed luculenter, ſpero, in ſubſequentibus oſtendam, incongruam hujusmodi comparationem eſſe, nec indolem Imperii pati, ut ejus ſtatum ad regulas politicas aliarum Rerump. metiamur & æſtimemus. Illud etiam, quoad fieri poteſt, ad liquidum perducam, remedium hoc, utut violentum, nec niſi extra ordinem adhibendum, ſumma æquitate niti, & factum, propter quod adhibetur, non alienum eſſe, ſed revera illius, qui incommodum inde ſentit, proprium intelligi. Gravitas argumenti, ejusdemque ſubinde recurrens uſus efficit, ut operam non inutilem fore putem, quam in eo plenius excutiendo, atque ad fontes ſuos, et prima fundamenta revocando conſumam. Ita vero in eo explicando verſari animum induxi, ut primo Juſtitiam & æquitatem Repreſſaliarum oſtendam,

dam, deinde, quod caput rei eſt, illas inter Imperii Principes licitas eſſe, demonſtrem, denique earum requiſita ſtrictim ſubjiciam.

§. II.

Manifeſtum iuitio eſt, ſermonem hic nobis eſſe de illo Repreſſaliarum genere, quibus ob denegatam vel diu protractam juſtitiam ſubditorum alterius perſonæ aut bona capiuntur (*a*). In latiori ſignificatu accipit *Gail. Obſ. 1. n. 3.* (*b*). De origine vocis ſoliciti haud ſumus, quam ali-

(*a*) Pleniorem *repreſſaliarum* definitionem exhibet *Struvius Synt. Jur. Civ. Ex. 9. th. 8.* ubi eas deſcribit per *Remedium, quo ob denegatam aut protractam juſtitiam a Magiſtratu alterius Reip. ſive territorii, in re non modica & cauſa liquida, læſi Magiſtratus ab ipſo, imploratus, ſi ejus præcedens monitum negligat alter Magiſtratus, detinet, accedente Superioris conſenſu, iſtius loci civem quemlibet, ſive res, quæ forte ſub læſi Magiſtratu reperiuntur, usque dum læſo altero Magiſtratu ſatisfiat.*

(*b*) Qua ratione etiam retorſiones & areſta complectitur; Differentias inter repreſſalias & pignorationes exponit *Schütz. Colleg. Jur. Publ. Vol. II. Ex. 5. §. 2. lit. a Henr. Arn. a Landsberg. Diſſ. d. Repreſſal. membr. V.*

aliqui ab Italis (*c*), alii a Gallis (*d*) repetunt, rursus quidam in ipso Latio (*e*) ejusdem natales quærunt. Græcis dicitur Ενεχυϱιασμὸς (*f*). Cæterum rectius scribi *represalias*, quam *repressalias*, quod prior locutio voci Saxonicæ *Withernamii* exacte respondeat, *Grotius* monet. Dividi solent a quibusdam repressaliæ in personales, reales, & mixtas, nec non in generales & speciales. (*g*)

§. III.

(*c*) Apud quos *prendere* idem est, ac caperre, & *ripresa* reciprocam capturam notat; & ipsam vocem *ripresaglia*, vel contracte *praseglia*, apud Italos in usu esse constat. Vid. *Matth. Cramer. Dittionar. Reale Ital. Tedesco.*

(*d*) Nam vocabula Gallica *reprendre*, *reprise* ejusdem significationis sunt.

(*e*) Sed nec inter hos omnino convenit; Alii enim a *reprimendo*, alii a *repræsentando*, quod alter alterius personam sustineat, rursus alii a *reprædando* vocis originem repetunt, *Calvin. Lex. Jurid verb. Repressal.* Vocem hanc latinam haud esse, docet *Vossius d. Vit. Serm. 3. c. 42.*

(*f*) Quamvis hæc vox non universam Repressaliarum latitudinem exhaurire, sed unam solum ejus speciem complecti videatur, cui opponitur altera species, quæ ἀνδροληψία audit.

(*g*) Vid. *Schweder. Introd. Pur. Jubl. P. Spec. Sect. 2. c. 14. §. 10.*

§. III.

Nunc de justitia Repressaliarum in genere, sed paucis, & quantum instituto nostro sufficiat, tradendum erit. *Hugo Grotius*, Scriptorum Juris Naturalis & Gentium facile Princeps, *Tr. d. J. B. & P. L.3. c. 2. §. 5.* jus hoc non quidem natura introductum, sed tamen Jure Gentium (*h*) passim invaluisse, contendit; Ad quam opinionem firmandam facit, quod mero Jure Naturæ ex facto alterius nemo teneatur, adeo ut ne heres quidem, qui in omnia defuncti jura succedit, ejusdemque personam repræsentat ex delicto, quod ille admisit, aliquam obligationem contrahat, qua ab pœnas alieni criminis luendas devinciatur (*i*). Neque

(*h*) Hujusmodi jus Gentium positivum, Naturali & Civili plurium Populorum, contradistinctum proprie non datur, sed figmentum Doctorum est. *Pufendorff. d. Jur. Nat. & G. L. 2. c. 3. §. 23.* Cum enim gentes æquales sint, nec alteri in alterum imperium competat, jus sibi præscribere non valent, sed quicquid inter eas communiter receptum, vim suam a mutua conventione, saltem tacita, habet. *Idem Element. Jurisprud. L. 1. d. 12. §. 23.*

(*i*) Omnis enim pœna vel emendationem ejus, qui deliquit, vel utilitatem & tranquillitatem Reip. pro fine

que ab hoc principio Jus Civile divertit, quod negat, ex defuncti delicto heredem conveniri posse, nisi vel apud ipsum turpe lucrum existat, quod eidem extorqueri mereatur, vel is, qui deliquit, post litem contestatam decesserit (*k*). Quæ regula non tantum inter privatos valet, sed & respectu Vniversitatum sibi locum vindicat. Quo referendum est, quod in *L.* 7. *§. 1. ff. quod cuj. Vnivers. nom.* dicitur, singulos non debere, quod Vniversitas debet; propterea quod membra Vniversitatis, & ipsa Vniversitas,

fine habere debet. Atqui heres, qui nihil peccavit, emendari nequit, nec aliquod inde commodum ad salutem Reip. redundat. Quod posterius, quum in crimine perduellionis secus sit, non injusta censerit potest legum dispositio, qua filii reorum, in quibus paterni sceleris vistigia, & vindictæ cupiditas, non citra causam metuuntur, infames, omniumque successionum incapaces esse jubentur, *A. B. tit.* 24. Add. *L. 5. §. 1. Ad L. Jul. Maj.*

(*k*) *L. un. C. Ex del. def. in quant. hered. conv.* Add. *tit. C. ne fil. pro patr.* & *tit. C. ne ux. pro mar.*

(*l*) His præcipue rationibus moti contra justitiam & æquitatem Repressaliarum sentiunt, *Ant. Perez. ad. t. C. ut null. ex Vican. Bachov. ad Treutl. Disp. d. Pignor. th. 5. lit. G. Coler. d. Proc. Exec. l. 1. c. 2. n. 324. seqq.*

Ven-

ſitas, tanquam perſonæ moraliter diſtinctæ, conſiderari debeant (*l*).

§. IV.

Sedenimvero altius, & ex ipſa Lege Naturali, (*m*) juris Repreſſaliarum originem & fundamentum repeti debere, puto; ut intelligamus, non iniquum hoc remedium eſſe, ut vulgo clamant, ſed vel maxime legibus juſtitiæ & æquitatis niti. Vbi id quidem certum expeditumque eſt, ſi civitas, vel ejus Caput, juſtitiam petenti

B 2 dene-

Ventura de Valentiis in Parthen. litig. L. 2. c. 2. n. 30. ſeq. & alii complures, quos recenſere nihil attinet.

(*m*) Conſentit *Ziegler. d. Jur. Maj. L. 1. c. 34. §. 7.* nempe cum ipſo humano genere etiam ante gentes, hoc jus cœpiſſe, & hinc apud omnes gentes, quod eadem communi ratiocinatione utantur, obtinere. Quod vero idem *Zieglerus c. l.* contendit, ad Gentium jus referri non poſſe repreſſalias ab iis, qui ab Athenienſibus aut Romanis originem earum deducunt, non usquequaque admittendum puto. Primo enim inde haud conſequitur, gentes reliquas Athenienſium aut Romanorum imitatione repreſſalias recepiſſe, deinde nihil impedit, illud, quod imitatione Gentis alterius receptum eſt, juris Gentium eſſe; Nam & in iis, quæ communis Gentium utilitas ſuadet, & exigit, fieri non poteſt, quin ab uno alterove populo initium fiat.

deneget, vel male eandem administret, in foro Divino peccati illius reatum haudquaquam transire ad eos cives, qui, ut hoc admitteretur, nullo facto suo vel culpa effecerunt, & positive nihil ad illud contulerunt. Sed ut hujusmodi factum in vita Civili, quoad effectus & incommoda inde resultantia, singulis Civitatis membris imputetur, ratio dictitat, atque origo & indoles Civitatum diligentius considerata, evincit, indubiumque reddit.

§. V.

Nempe illi, qui in unum corpus, unamque civitatem coaluerunt, (*n*) voluntates suas unius, vel hominis, vel concilii, voluntati ita submisisse intelliguntur, ut quicquid ille, vel illud, publico nomine fecerit, aut voluerit, pro facto & voluntate omnium haberi debeat. Sine quo pacto nulla civitas concipi, nedum in ipso rerum actu ostendi potest (*o*).

jam

(*n*) Hoc quomodo per duplex pactum, unumque decretum, fiat, late docet *Pufendorffius d. Jur. Nat. & Gent. L. 7. c. 2.*

(*o*) Conf. *Bœcler. Diss. de eo, quod Civ. egit*, ubi contra *Arnisæum* disputans ait: *Nihil certius apud Philosophos esse, hac sententia: Quicquid Majestas agit, sive quicquid*

Jam vero ad ea, quæ publico nomine fiunt, vel maxime adminiſtratio juſtitiæ pertinet; circa quam prout verſatur is, penes quem ſumma rei eſt, & in cujus voluntate omnium voluntates unitæ ſunt, ita ab univerſis civibus communi conſenſu revera exercerit, quoad civiles effectus omnes, cenſeri debet. Quocirca facile jam corruit ratio contra jus Repreſſaliarum ſuperius mota, quod ſecundum Legem Naturae ex facto aliene nemo teneatur. Limitanda enim hæc regula ex ipſis rectæ rationis principiis, ut non valeat, quando quis in factum a tertio ſuſceptum conſenſit; ſive conſenſus ille ſpecialis & expreſſus fuerit, ſive quis initio, cum civitas conderetur, generaliter quoad omnes actiones civitatis publicas eundem declaraverit (*p*). Vt hinc revera in Jure Repreſſaliarum non de debito aut facto alieno agatur,

 ſed

quid habentes Majeſtatem agunt, id a Civitata, atque adeo ab omnibus civibus actum cenſeri debet.

(*p*) Conſentit *Titius Specim. Juris Publ. L. 3. c. 8. §. 43.* ubi ait: *In repreſſaliis conſenſum detenti adeſſe, non quidem colligendum ex ambiguo Jure Gentium Grotiano, ſed conſtitutione cujusvis Civitatis.*

ſed de tali facto, quod illius, adverſus quem illæ exercentur, proprium eſſe intelligitur.

§. VI.

Diſplicere hæc Philoſophia videtur *B. Zieglero*, qui *in Tr. d. Jur. Maj. c. 34.* §. *32.* ita illam impugnat: *Alii*, inquit, *juſtitiam repreſſaliarum inde deducunt, quod de facto Magiſtratus teneantur univerſi cives & ſubditi, propterea, quod omne jus in Magiſtratum contulerunt, & ſic tacita quadam communis obligatione participent de facto Magiſtratus, ſibi igitur imputare debere populum, qui tales elegerit, & imperio præfecerit, atque ita propter electionem temerariam eum non ſine culpa eſſe; ſed hæc argumentatio non alias locum invenire poteſt, niſi tum, quando populus libera electione Regem ſibi conſtituit, Et vero ne tum quidem Regis delicta populo imputari poſſunt, cum nec eo quidem animo elegerit Regem, ut in Regimine ille male ſe gereret, quocirca non multum præſidii ex iſta ratione petendum eſt.* Enimvero non in Electivo tantum Regno, ſed in quavis Civitate illi, qui in unum corpus coaluerunt, id velle cenſentur, quod publice voluerit is, in quem ſumma

ma rei collata eſt. Quod vero *Zieglerus* ait, Regis delicta Populo imputari non poſſe, cum eo animo non elegerit Regem, ut in Regimine ſe male gereret, id quidem valet, & aliquod pondus habet, ſi de reatu in foro divino ſermo ſit, non ſi de effectibus in vita Civili, ut circa repreſſalias contingit, agatur. Subjicit *c. l. Zieglerus*, fortiorem eſſe rationem iſtam, quae ex juſtitia belli gerendi deducatur, repreſſalias eſſe quoddam bellum particulare, ſed bellum licite inferri, quando Princeps aut Civitas vindicare neglexit, quod a ſuis improbe factum, aut reddere, quod a ſuis per injuriam ablatum eſt; Ergo & repreſſalias licite & juſte decerni, quando Princeps, aut Civitas, vel Reſp. aut negligit, aut non curat, vindicare injuriam illatam aut, quod inique ablatum eſt, reſtituere. Vbi id recte habet, quod a bello ad repreſſalias, atque adeo ab eo, quod plus eſt, ad id, quod minus eſt, *Zieglerus* colligit; ſed nego, aliud hoc, & a priori diverſum argumentum eſſe. Nam pari utique jure contra belli juſtitiam urgeri poſſet, illud iniquiſſimum eſſe reſpectu eorum civium, qui

nihil

nihil improbe fecerunt (*q*). Quocirca belli quoque justitia non ex alio fundamento congrue defendi potest, quam ex illo, ad quod repressaliarum æquitatem revocandam esse, docuimus; scilicet consensu originario subditorum, & constitutione cujusvis Civitatis. Quod & ipse *Zieglerus* haud obscure largiri videtur *c. l.* §. 2. quando propter denegatam justitiam bellum ideo licitum esse contendit, quia consentire hac ratione videantur omnes alterius Reip. cives circa factam injuriam.

§. VII.

Atque hoc unicum fundamentum est, ex quo, tanquam genuino fonte, Justitia Repressaliarum fluit. Reliquæ rationes omnes, quæ vulgo adduci solent, nonnisi probabiles sunt, & suasoriæ, quæ solam earum utilitatem gentibus commendent. Quod nempe qui tale incommodum patitur, spe pari modo, occasione ita ferente, jus suum obtinendi, se consolari & sustentare debeat; Quod alias Principibus,

(*q*) Quippe, semel exorto bello, nulla amplius distinctio fit inter innocentes & reos; sed omnes & singuli ejusdem causæ defensores esse censentur, ut ipse *Zieglerus* edisserit *ad Grot. d. J. B. & P. l. 3. c. 2. §. 1.*

bus, præfertim illis, qui abfoluto in fuos imperio gaudent, planiffima panderetur via, exteris juftitiam denegandi, nec talis injuria aliter, quam bello, vindicari poffet; ad hoc vero non aliter, quam fi omnia mitiora remedia deficiant, ratione & civili prudentia ita fuadente, perveniri debeat; Quod ex duobus malis minus eligi conveniat, & fatius fit, unum civem premi, & aliquo incommodo affici quam totam civitatem belli malis involvi.(*r*)

§. VIII.

Demonftrata Repreffaliarum juftitia, nunc de illarum ufu videndum. Hunc antiquiffimum

C

(*r*) Ad confirmandam Repreffaliarum æquitatem hanc rationem addit *Pufendorfius d. Jur. Nat. & Gent. L. 8. c. 6. §. 3.* Quemadmodum, ait, ex conjunctione in corpus Civile factum eft, ut, quæ uni infertur, injuria per extraneos, ea totam Civitatem videatur tangere, ita non iniquum vifum, fingulos velut in fubfidium pro debito Civitatis obligatos effe, cum, quod eo nomine illi erogaverint, a Civitate fua ipfis fit refundendum; Quodfi autem hoc modo unus aut alter civium damnum fentiat, debet id inter illa incommoda referri, quæ Civitates tantum non neceffario confequuntur; etfi hæc minimam partem faciant eorum malorum, quæ fingulos extra Civitatem manfura erant.

mum esse, & inde a primis temporibus inter Romanos (*s*) Gallos (*t*) aliosque populos (*u*)

(*s*) Jam temporibus Numæ pompilii repressalias in usu fuisse, propugnat *Gail. d. pignorat. Obs. 1 n. 2.* contra *Bartol. Tr. d. Repressal. pr.* Videntur huc *Clarigationes* quodammodo referri posse, quibus utebantur Romani, quum, certis solennibus adhibitis, res suas repeterent, iisdemque non redditis, bellum decernerent. Exemplum privatæ Claritionis commemorat *Livius L. 8. Decad 1.* Diversa tamen inter Clarigationem & Repressalias ratio est; quod illa magis ad publicam belli denunciationem respiciat; nec in repressaliis exercendis fecialium solennia intervenire soleant; Alii ex Lege Attica originem repressaliarum deducunt; cujus hæc erat sententia: *Si quis, morte per vim illata, obierit, pro eo proximis ac necessariis jus esto homines prebendendi; donec aut pœna sumatur de cæde, aut homicidæ dedantur; licet autem tres tantum homines prebendere, non ultra.* De qua Lege vid. *Grot. c. l. n. 3.* & *Choppin. de Dom. Franc. L. 3. t. 25. n. 2.*

(*t*) Apud Gallos *jus Marquæ*, *le Droit de marque*, a limitibus, qui & Germanico idiomate Marck audiunt, appellatur. De quo vid. *Cujac. ad L. un. C. ut nullus ex vican.* ubi tradit, si Hispanus diripuerit Gallo negotiatori merces, hunc vicissim, permissu Regis, posse pari jure, & quasi ex lege talionis, Hispanum quemlibet, in quem primum inciderit, diripere, Plura de usu repressaliarum inter varios populos tradit *Peschwiz. d. Repressal.*

(u) receptum, dubitandum haud eſt, omniſque ævi annales oſtendunt. (w) Enimvero inſtituti noſtri ratio haud ſinit, ut exterarum Gentium mores excutiamus, qui id cumprimis agere conſtituimus, ut, quod a multis negatur, oſtendamus, etiam inter Principes & Status in Imperio noſtro Rom. Germanico repreſſalias licite adhiberi poſſe, atque ſolere. Cum enim nemo adhuc, quod ſciam, hoc argumentum ex inſtituto pertractaverit, operæ pretium, in eo diligentius explicando, me facturum eſſe exſtimo.

§. IX.

Ubi initio ſupponendum eſt, quod res ipſa docet, ſuperioritatem Territorialem, qua quisque Princeps Imperii citra controverſiam gaudet, Majeſtatis inſtar habere (*x*), atque adeo omnes hujus partes complecti, niſi quatenus illas per Leges *Imperii* fundamentales limitatas eſſe, aperte

(*u*) Earum ſpeciatim in Italia exercitarum pluſculo exemp. refert *Carqin. Tuſ. L. 6. Concl. Pract. Concl. 193. p. 544.*

(*w*) Add. *Camden. in Scot. d. 707. Limn. J. P. 2. 8. n. 309. ſeq.*

(*x*) Hinc & territoria Principum cum Civitatibus recte comparantur; Civitas enim, ut olim in formula apud Rom. erat, dicitur, quæ in ſua poteſtate eſt.

aperte constet. Quo cum jus repressaliarum sine dubio pertineat,(y) consequitur, idem illud Principibus Imperii, inter quos Electores maxime eminent, denegari non posse, nisi conventio, qua illud

(y) Nam a Magistratu absque Principis consensu exerciri haud possunt, cum belli privati quandam speciem habeant, atque ad illus velut præludia pertineant, & fomes, ac incentivum illius sint. Quamvis olim quidem, cum diffidationes adhuc in usu essent, quælibet civitas Municipalis etiam, repressalias exercere consueverit, ut *Lebmannus in Chron. Spirens.* passim ostendit. Igitur penes quem jus belli est, is solus repressalias decernere valet; quippe qui æstimare debet, an Reip. præsens conditio ferat, per repressaliarum exercitium eandem belli qericulo exponi. Quocirca salubri consilio Carolus IIX. in Gallia hoc jus Præfectis Provinciarum ademtum sibi soli asseruit, *Bodinus l. 8. de. Rep. c. ult.* Qood peculiari Constitutione A. 1485. lata factum esse, testatur *Renat. Choppin. d. Doman. Franc. L. 3. t. 25. n. 1.* Quamvis *Bodinus* quidem *c. l.* indigne illud Regibus vindicari, perperam contendat. Falsum etiam illud, quod *Grotius P. 3. c. 2. §. 7. n. 3.* ait, Jure Gentium singulis pignorandi jus esse, &, quod *Gronovius* addit, quempue injuriæ sibi ab alieno Magistratu factæ in ejus subditos ultorem esse posse. Nec vero quoo apud Athenienses in *ἀνδρο-ληψία* licebat, ex Jure Gentium erat, sed ex singulari Lege Atticat, ut recte *Zieglerus ad c. l. Grotii* monet.

illud jus dimiſerint, aut Lex aliqua Fundamentalis, quæ id excludat, oſtendatur; qualem nullam omnino extare, ex iis, quæ deinceps dicemus, liquido qatebit. Equidem largimur, repreſſaliis inter concives & ſubditos ejusdem Reip. locum haud eſſe; ſed cum ab eorum conditione Principum dignitas atque poteſtas longiſſime diſtet, utrosque eodem modulo æſtimare atque metiri velle, hominis eſſet, in ſumma rerum Germanicarum & ſtatus Reip. noſtræ ignoratione verſantis. (z)

§. X.

Plerique omnes Juris, quod vocant, Publici Scriptores, qui remedio huic inter

(z) Vnde etiam patet, ad jus Repreſſaliarum Principibus Imperii vindicandum, opus haud eſſe, ut ad illud Publiciſtarum quorundam dicterium, *quod tantum illi in ſuis territoriis poſſint, quantum Imperator in Imperio*, confugiamns; præſertim cum illud falſum eſſe, & pleraque jura Majeſtatis, quæ a Principibus reſpectu territoriorum ſuorum citra controverſiam libere exercentur, in Rep. Rom. Germanica non penes Imperatorem ſolum eſſe, ſed ſimul in Statibus Imp. reſidere, eosque συναρχόντων locum tenere, nemo cordatus negare audeat.

ter Principes Imperii (*aa*) locum esse negant (*bb*), eo inprimis fundamento nituntur, quod in Imperio nostro in promtu sint Judicia, duo nempe summa illius Tribunalia, Judicium

(*aa*) In exteros a Statibus Imperii repressalias, etiam sine consensu atque autoritate Cæsaris, exerceri posse, plerique concedunt, vid. *Schweder. Intr. Jur. Publ. P. spec. 2. 14. 10. Myler. c. 56. n. 5. seq.* De repressaliis contra Galliæ Regem in Imperio exercendis, Rescriptum Friderici I. Imper. habetur apud *Goldastum Tom. 1. Const. Imp. p. 282.* earumque exemplum adducit *Petrus de Vinea L. 5. Epist. 48.* Quod vero *Hertius d. Super. Territ. a. 33.* objicit, nec inter fœderatos Belgas, nec Helvetios Cantones repressalias in usu esse, nec ad rem aliquid facit, & forte ex peculiari aliarum Rerump. fœdere atque conventione pendet; cujusmodi nihil in imperio ostendi potest. Nec in eo aliquid momenti inest, quod *Idem c. l.* addit, *prudentes quoad Exteros suadere, Cæsaris judicium prius requirendum esse;* cum id non ad juris, sed prudentiæ, caput pertineat.

(*bb*) In horum numero plerique sunt, sigillatim *Hulderic. ab Eyben Diss. d. Orig. reg. Principes tantum posse in territ. in fin. p. 786. Gail. d. pignor. c. 2. n. 3. Sixtin. d. Regal. L. 2. c. 2. n. 35. Mulz. Repræs. Maj. Imper. P. 2. c. 26. §. 11. n. 122. p. 796. Schüz. Colleg. Publ. Vol.* II. *Ex. 5. §. 2. ibique Scharschmid.* Mücub-

cium Cæsaris Aulicum, & Camera Imperialis, ubi quisque de justitia sibi denegata conqueri, & vel literas promotoriales, ut ajunt, vel mandata sine clausula (*cc*), impetrare queat. Remedium vero extraordinarium dicunt cessare, quando ordinaria juris remedia suppetant, quibus ad jus suum consequendum uti liceat (*dd*). At enim vero sicuti Germaniæ Principes, qui peculiari exemtione aut Privilegio non gaudent, suas subditorumque suorum causas coram Augustis illis Tribunalibus ordinatim & regulariter disceptari, merito & æquo animo patiuntur, ita non apparet, cur illis admissis, constitu-

Münchmeyer. Jur. Publ L. 1. c. 6. §. 25. Einsiedel. d. Regal. L. 2. c. 1. n. 30. seq. Schweder. Introd. ad Jus Publ. Part. Spec. Sect. 2. c. 14. §. 10. Bechmann. ad A. B. Ex. VI. verb. Denegata fuerit. justitia, Limn. Jur. Publ. IV. 8. n. 315. Simon ad Grot. Dissert. 20. n. 4. Ziegler. d. Jur. Maj. Bartolus Tr. de Repress. q. 3. n. 4.

(*cc*) De causis, ubi hujusmodi mandata decerni debeant, vid. *Ord. Cam. P. 2. t. 23.*

(*dd*) Hinc *Uffenbach. Tr. d. Cons. Cæs. Aul. c. 10. p. 96.* inter causas, utrique judicio, Aulico & Camerali, communes refert causas pignorationum, & simul formulam libelli supplicis, quo tali casu uti liceat, subjicit; Nec *Perillustris Dn. a Lyncker in Tr. quem Libert.*

ſtitutisque, remedium hoc, jus ſuum extra ordinem perſequendi, ſtatim & omnino ceſſare debeat. Nam regula, quod remedium extraordinarium tamdiu non competat, quamdiu ordinarium datur, non Juris naturalis & Gentium eſt, ſed ex mero Jure Civili (*ee*). Spectata enim ſimplicitate Juris Naturalis, nihil vetat, eo caſu, ubi duo remedia concurrunt, ſepoſito tantiſper neglectoque ordinario, illud eligi, quod extra ordinem competit; prout quisque alterum præ altero præſenti rerum ſuarum conditioni magis convenire judicaverit. Nec qui ordinarium qui & novum remedium admittit, idemque introduci patitur, & conſentit, reliquis remediis, quæ proprio Jure, & vi Majeſtatis, vel ſuperioritatis, antea habebat, aliter renunciaſſe videri poteſt quam ſi ſuper eo voluntatem ſuam expreſſe declaraverit. Atqui a Principibus Imperii hujusmodi declarationem, quod poſt ordinata ſuprema Judicia jus Repreſſaliarum inter ipſos omni-

bert. Stat. Imp. inſcripſit, inter Principum Imperii jura hujus, quod in exercendis repreſſaliis verſatur, mentionem injicit; quamvis nec inter ea, quæ perperam ejus libertatis eſſe dicantur, idem commemoret.

(*ee*) Vid. *L. 16. ff. d. Minor.*

omnino ſublatum eſſe debeat, unquam factam eſſe, oſtendi nequit.

§. XI.

Quid enim, ſi admiſtratio Juſtitiæ lente procedat, quid, ſi adminiſtrarii potentia, & reſiſtendi vires eanden impediant, eundemque omnia Mandata contemturum & inſuper habiturum eſſe, conditio temporum, aliæque circumſtantiæ dubitare non ſinant? Quid, ſi executio contra ipſum, retenta ordinaria juris via, non ſolum difficilis, & periculi plena, ſed moraliter etiam impoſſibilis videatur? Quid ſi denique alter non tantum Imperii Princeps ſit, ſed ſimul externum regnum validiſſimis viribus ſubnixum teneat, & Imperium bello jam implicitum ſit, ut intempeſtivo juris rigore novis turbis idem involvi, prudentiæ Civilis regulæ haudquaquam permittant? Quis credat, aut præſumat, eam Statuum Imperii ſententiam fuiſſe, ut poſt conſtituta, quæ jus ordinarie reddunt, Judicia, ne tali quidem caſu, exercendo repreſſalias, jus ſuum, propria autoritate, vi ſuperioritatis territorialis, qua pollent, perſequi cuperent? Qua de re *Perilluſtris Autor Fœtal. Europ. P. 1. pag. 28.* graviſſime hunc

in modum edisserit: Aus diesen und dergleichen erscheinet, daß diejenige Publicisten, welche denen Ständen des H. Reichs Teutscher Nation dieses Recht nicht deshalber gestatten wollen, weil die hohen Reichs-Gerichte jedem Stande nach Maße der Cammer-Gerichts-Ordnung offen stünden, der Sache nicht gnugsamen Rath schaffen. Ja, wenn die Reichs-Justiz nicht unsterbliche Proceße hätte, und nach denen heilsamen Rechten verfahren würde, so wäre es unbillig, in eigner Sache Richter zu seyn; Weil es aber daran ermangelt, so kommt es auf die Freyheit souverainer Chur- und Fürsten an, sich durch kürtzere Wege zu helffen. Nam quare inter ejusdem Reip. subditos repressaliis locus non detur, ratio in promtu est, quia refractarius & contumax ad officium faciendum per vim majorem facile compelli, & in ordinem redigi potest, quod in Principibus imperii, illis præsertim, qui vel regno insuper potiuntur, vel saltem opum & virium magnitudine Reges æquant, secus habere, quisque, vel me tacente, videt, atque intelligit.

§. XII.

§. XII.

Ostendimus, posse Principem Imperii, si velit, virtute superioritatis Territoriales, jure Repressaliarum adversus Constatum uti, nunc, quod actu etiam exercitæ ab illis sint, strictim videbimus. Consuetudinis hujus gravissimus testis est *Lehmannus*, *qui in Chron. Spir. L. 5. c. 98.* ex Annalibus Steronis ad A. 1277. refert, *in partibus Alemanniæ consuetudinem inolevisse de pignorationibus, in quibus alius pro alio, sive innocens pro nocente, prægravatur*; *Idem c. l.* articulum ex Statuto Spirensi excitat, A. 1263. condito, qui hunc in modum conceptus legitur: Wenn ein Bürger ausser der Stadt in die Nachbarschafft, oder weiter gelegene Orth, um eines andern seines Mit-Bürgers willen, um Sachen, wie die Nahmen haben mögen, arrestirt und angehalten worden, und seinen Arrest dem Burgemeister zu wißen gemacht, so soll der Burgemeister bey Straff beym ersten punct, dem Bürger, um deßwillen der andere ausserhalb verhindert, und aufgehalten worden, befehlen, denselben seinen Mit-Bürger innerhalb acht Tagen ledig zu machen, und solchen Befelch soll der Bürger gehorsamlich nachsetzen, bey ewigem Verlust seines

nes Bürger-Rechts, und Abtrag des Schadens, so dem andern durch sein Verschulden begegnet. Ubi deinceps hæc verba subjicit: Dieser punct giebt Nachrichtung von dem allgemeinen Brauch am Rhein-Strohm; Wann einer in Städten und Flecken an andern Orthen mißhandelt, gefrevelt, oder sonst schuldhafft worden, und man dessen nicht mächtig seyn können, und ein ander an denselben Orth kommen, daß man sich an demselben erhohle, und der Unschuldige büssen und abstatten müsse, was ein ander verschuldet. (ff)

§. XIII.

Eundem repressaliarum in Imperio usum ostendit atque confirmat celebratissima *Constitutio Imp. Friderici Barbarossæ*, quæ privilegia Studiosorum tratit, in *Avth. Habita C. Ne fil. pro patre*; ubi nonnisi abusus consuetudinis, & quod repressaliæ contra scholares etiam admissæ fuerint, improbatur; in cæteris illa earundem usum haud obscure confirmat. Quo etiam textus Juris Canonici facit, nempe Decreta-

(ff) Videntur autem in Germania repressaliæ inprimis in usu fuisse a temporibus interregni illius magni, quod Friderici II. mortem excepit.

cretalis Gregorii X. qui centum circiter annis post Fridericum I. vixit, in *cap. un. d. injur. & damn. dat. in 6.* ubi tantum clerici a repressaliis eximuntur, sed quoad laicorum bona nihil earum usui & exercitio ibi detrahitur, utut pontifex illas ibidem improbet(*gg*). Recentius exemplum repressaliarum, etiam in causa religionis, ab Electore Brandenburgico contra Ducem Neoburgicum exercitarum suppeditat *Pufendorff. in Hist. Brandenb. L. 3. §. 25.* cujus verba hic recitari merentur: *Neoburgicus*, inquit, *insuper habitis, cum Electore conventis, Evangelicos per Juliacensem & Bergensem porvinciam habitantes, gravibus oneribus opprimebat, ne concionatoribus quidem, adibusque sacris parcens. Quorum tutelam cum negligere non posset Elector, nec tamen in in promtu esset remedium, citra turbas id malum corrigendi, adhibita talione ad aliam mentem permovere istum instituit. Quo fine & ipse paria onera Pontificiis per suam ditionem imperat, facile id factum Casari & Ordinibus adprobaturus, quod Neoburgici iniquitas ad ista confugere jubegisset, statim cessatura, ubi hic injuste imperata revocaverit.*

(*gg*) Vid. tamen *Rittershus. ad Novell. P. 3. c. 7.*

verit. Qui & deinceps hoc repressaliarum jus cantra Cæsarem strenue defendit. Quid ultro citroque actum, & quae in utramque partem argumenta allata sint, *Idem c. l.* exponit. Add. de recepto inter Germanos Repressaliarum usu *Frider. Mindan. d. Proc. Execut. L. 1. c. 49. membr. 5.* (*bb*)

§. XIV.

Sed jam progrediamur ad ea, quæ contra Repressaliarum inter Germanos usum communiter a Juris Publici Doctoribus moveri solent, diluenda. Ubi primo occurrit *Rhetius*, qui in *Jur. Publ. L. 2. tit. 10. §. 1.* jus repressaliarum in Germania inter Status Imperii ideo prohibitum esse, contendit, quoniam convenerint inter

(*bb*) Adjicio *Art. 8.* Capitul. Leopoldin e ac Josephinæ, nec non *Art. 27.* novissimae Capit. Imperatoris, qui felicissimis auspiciis rebus Germaniæ hodie præest, *Carol. VI.* ubi repressalias justas, debitoque modo exercitas non improbari, apparet. Nec obstat, Art. 16. cit. Cap. noviss. verb. Kein Stand den andern mit repressalien 2c. Nam locum hunc de illis tantum repressaliis intelligendum esse, quæ, lite coram summis tribunalibus pendente, fiunt, luculenter indicant verba ibi adjecta: in Rechts-hängigen Sachen, und unter währender litis-pendenz.

inter ſe, Imperator & Status, ſe abſtinere velle ab omni via facti, & controverſias legitimo & recepto modo eſſe terminaturos. Atenimvero in ſuperioribus oſtenſum eſt, alterum ex altero minus conſequi; nec, modo ordinario lites & controverſias dirimendi introducto, ſublatum fuiſſe extraordinarium juris ſui perſequendi remedium, quod cum Majeſtate, ejusque aemula, Superioritate Territoriali, cohæret, nec ab ea aliter, niſi per conſenſum liquido declaratum, quali hoc caſu deficit, divelli poteſt. Quod vero *idem c. l.* ſubjicit, de Statibus Imperii hoc axioma invaluiſſe, ut, qua bellum inter eos licitum eſt, ea quoque ratione repreſſalias admitti, fas ſit, id quidem affirmative valet, ſed negative non omnino procedit, nec uſquequaque verum eſt. Non enim ob juſtitiam in qualicunque cauſa denegatam, ſtatim arma adverſus lædentem expedire, eundemque bello adoriri in Imperio licet, ſed quin tali caſu repreſſaliæ ſemper adhiberi queant, nulla idonea dubitandi cauſa eſt. (*ii*)

§. XV.

(*ii*) Idem diſcrimen haud obſcure indicat *Titius in Jur. Publ. c. 8. §. 49.* Sed & ipſe *Rhetius c. l. l. 3. t. 2. §. 8.* admittit obligationem inter Status Imp. ad repreſſalias,

§. XV.

Sequitur, ut Leges Imperii, ad quas provocare solent illi, qui inter Status Imperii repressaliis locum esse negant, previter excutiamus; Primo *Rec. Imp. d. A. 1641.* §. Nachdem auch die Stände 2c. 94. excitatur, qui tamen, cum nonnisi de abusu Bullæ Brabantinæ (*kk*) agat, parum,

salias, quatenus nempe nemini alii, quam obliganti, præjudicium inde oriri possit.

(*kk*) Hæc bulla continet privilegium, a Carolo IV. Johanni, Duci Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgiæ A. 1349. concessum, vi cujus subditi Brabantini a jurisdictione Imperii eximuntur. Add. *Lehmann. Chron. Spir. L. 7. c. 13. in fin.* Sed Duces Arabantini, eo privilegio abusi, pati nolebant, ut eorum subditi ob contractum, vel delictum, aut rem sitam, alibi convenirentur, Status etiam, eorumque subditos in Brabantia bona possidentes, actio licet mere personalis esset, ad se evocabant. De quo subinde Status Imperii querelas moverunt, vid. *Herden.* Grund-Veste *P. 3 c. 3. a. 6. p. 194.* Tenorem illius Bullæ, præter *Limnaeum J. P. c. 2. n. 10.* Subjecta commentatione, recitat *Thulemar. Collect. ad Bull. Brabant.* quae in *Tr. d. Bull.* sub *N. VI.* exhibetur.

parum, vel potius omnino nihil ad rem facit. (*ll*) Firmius contra Repreſſalias argumentum deſumi videtur poſſe ex *Ordin. Camer. P. 2. t. 22.* Ita enim ibi cautum eſt: Setzen und ordnen wir, daß hinführo in ſolchem Fall, da einer, der dem Reich ohne Mittel unterworffen, durch ſich ſelbſt, oder die Seinen, einen andern, der dem Reich gleichergeſtalt unterworffen, oder die Seinen pfänden oder fahen würde, warum, oder um was Sachen willen, (allein die Malefiz-Sachen ausgenom̃en) das beſchehe, daß alsdenn auf Anruffen desjenigen, der oder des Unterthanen alſo gepfändet oder gefangen, dem Thäter durch das Käyſerliche Cammer-Gericht bey Einer, nahmhafften pœn, und ſine clauſula juſtificatoria, mandirt und gebothen werden ſoll, ohn Verzug, auch einige einrede, die Pfändung wiederzugeben ꝛc. Atenimvero totus contextus *cit. tit.* ſatis indicat, ſermonem ibi tantum eſſe de injuſtis & contra fas ſuſceptis pignorationibus, tantumque abeſt, ut repreſſaliae eo, quo par eſt, modo, exercitae, eo loco prohibeantur, ut potius memoratus textus haud obſcure eas

E appro-

(*ll*) Satis hoc confirmant Receſſus illius verba, quæ nihil minus, quam repreſſaliarum prohibitionem, continent.

approbet atque confirmet. Quo pertinent verba sequentia, quae ibi circa finem habentur: Und im Fall da sich erfünde, daß der klagende Theil seiner Klage nicht Fug und Recht hätte, und das fahen oder pfänden von dem Beklagten billig geschehen wäre, so sollen ihm die Pfändung oder Gefangene rc. Inprimis urgeri solet *Rec. Imp. d. A. 1570. §. 84.* ubi arresta, & repressaliæ generaliter prohibitæ dicuntur; Verb. Wenn auch die Arresta, wie die Repressalien generaliter in Rechten verbothen. In quo textu omnes, qui dissentiunt, præcipuum opinionis suæ fundamentum collocare videas. Enimvero manifestum est, verba hoc loco de repressaliis concepta, tantum relativa esse, non autem novam prohibitionem complecti. Cum igitur nec alibi in LL. Imperii hujusmodi prohibitio inveniatur, liquet, illa ad Jus Commune privatum referri, adeoque de repressaliis illicitis & citra Superioris auctoritatem atque consensum susceptis, explicari debere.

§. XVI.

Præterea frustra objicitur, quod per *Constitutionem Pacis Publ.* (mm) bella privata sublata sint

(mm) Per hanc A. 1494. pax publica perpetua, auspiciis maximiliani I. Imperatoris, sancita est; Quæ deinde,

ſint omnia. Quamvis enim ibi diffidationes, & violentæ oppreſſiones ac ſpolia, interdicta ſint, non tamen hoc ipſo ſtatim Principibus jus repreſſaliarum, cujus æquitatem & juſtitiam ſatis oſtendimus, ademtum eſt. Nec vero ab aliis Rebusp. ad noſtram argumentari licet. Ubi enim omnium civium voluntates ac vires in uno, vel homine, vel Concilio, ita unitæ ſunt, ut quisque facile intra officii ſui limites contineri poſſit, nemoque vires ſuas cum illius, vel hominis, vel Concilii, potentia comparare audeat, iniquiſſimum ſane fuerit, tam violentum remedium introduci, aut admitti. Sed cum noſtræ Reip. Romano-Germanicæ ea facies atque ſtructura ſit, ut ſæpenumero temporum conditio ſpem, promtam juſtitiæ adminiſtationem obtinendi, excludat, Principibus Imperii vitio verti nequit, ſi breviſſimam viam eligant, & per repreſſalias Conſtatum ad jus, ſibi, ſubditisque ſuis, reddendum excitent.

§. XVII.

Solet etiam contra Repreſſaliarum inter Principes Imperii uſum excitari *Inſtrum. Pac.*

E 2 art.

deinceps ſubinde, in variis Comitiis, incrementum cepit, eademque per Capitulationes perpetuo confirmata eſt. Add. *Horn. Jur. Publ. cap. 8.*

art. 9. ubi hæc verba leguntur: *Et quia publice intereſt, ut, facta pace, commercia viciſſim reſtoreſcant, ideo conventum eſt, ut, quæ eorum præjudico & contra utilitatem publicam hinc inde per Inperium, belli occaſione, noviter propria autoritate contra jura, privilegia, & ſine conſenſu Imperatoris, atque Electorum Imperii invecta ſunt vectigalia & telonia, ut & abuſus Bullæ Brabantinæ indeque natæ repreſſaliæ & arreſta, &c. penitus tollantur.* At enim obſcurum eſſe nequit ei, qui vel obiter hunc locum intuetur, non de quibusvis repreſſaliis in genere ibi agi, ſed itidem de illicitis illis, quæ defendendo Bullæ Brabantinæ abuſui exercebantur, quas penitus tollendas eſſe, ſubinde monuerunt Status. (*nn*)

§. XIIX.

Vidimus, Principes Imp. poteſtatem Repreſſalias decernendi habere, nunc quænam cauſæ ad eas exercendas ſufficiant, breviter ſubjiciemus. Vbi in aprico eſt, ante omnia liquidum eſſe debere illius jus, qui ſe ab aliena Rep. læſum eſſe dicit. Neque vero hoc ad modum privatoram judiciorum æſtimari oportet, ubi jus petitoris non prius liquidum eſſe cenſetur

(*nn*) Conf. *Jacob. Otto Annot. ad Inſtr. Pac. Weſtphal. c. art.. Vlric. Obrecht. Expoſ. Inſtr. P. c. 8.*

ſetur, quam altera parte citata, & ſufficienter audita; Cum enim hoc caſu citatio fieri haud poſſit, ſatis erit, a læſo jus ſuum ita Principi exponi, ut ipſi de illo evidenter conſtet; & is ſimul æſtimare queat, an damnum illatum tanti ſit, ut, id per repreſſalias vindicari, operæ pretium videatur. Nam ſi læſio valde modica ſit, non committet facile Princeps, ut, violento hujusmodi remedio adhibito, ſalus publica in diſcrimen vocetur. Neque vero, quod *Zieglerus c. l.* putat, talis læſio requiritur, quæ in publicum detrimentum vergat; ſed ſatis eſt, privato gravem læſionem illatam eſſe, qua, alia imtiori via, reparari non poſſit.

§. XIX.

Deinde certum exploratumque eſſe debet, juſtitiam ab aliena Civitate denegatam eſſe. Ante enim, quam repreſſaliis locus relinquatur, tribunalia alienæ Reip. diligenter implorari convenit, nihilque læſus omittere debet eorum, quæ ad rem ſuam recuperandam facere videantur. Quamdiu enim facultas datur, jus & rem ſuam pro tribunali conſequendi, regulæ prudentiæ & æquitatis volunt, nihil gravius decerni oportere. Sed ſi appareat, ſurdas exteri

Judicis aures esse, eundemque in administranda justitia non solum moras nectere, sed etiam id aperte agere, ut læsus ne audiri quidem, nedum corrigi læsio, & jus ipsi reddi debeat, recursus etiam ad Principem, vel præclusus, vel sæpius frustra tentatus fuerit, tum vero citra ullam iniquitatis notam ad Repressalias confugere licebit(*oo*). Cæterum haud sufficit, denegationem justitiæ simpliciter a cive allegari, seg & eandem probari oportet; non tamen præcise per testes, aut documenta, sed & aliunde ex circumstantiis, quæ Principem, de veritate asserti, dubitare non sinant.

§. XX.

Concedi queunt Repressaliæ omnibus Civibus, sive sint originarii, sive assumti, aut cooptati, quibus proinde etiam contra civitatem Ori-

(*oo*) Quo pertinet, quod *Cicero L. 3. d. Offic.* ait: *Cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, confugiendum est ad posterius, si non liceat uti superiore.* Add. Responsum Hispaniarum Regi ab Electore Brandenburgico datum, quum A. 1680. repressaliis adversus eundem usus esset, *Pufendorff. Hist Brandenb. L. 18. §. 11.* Illud vero necessarium haud est, ut præcise ter petitum, denegatumque sit jus, prius, quam repressaliis locus detur, qualem legem apud Bearnienses extare, *Choppin. d. Doman. Franc. l. 3. t. 25. n. 4.* memorat.

§. XX.

Originis fuccurritur. *Add. Bart. d. Repreſſal. q. 5.* Imo & incolis illæ denegari haud debent; inter quos & Cives quænam differentia ſit, paſſim docent *Dd. ad tit. ff. ad Municip. & tit. C. d. Incol.* Nec aliud de Judæis dicendum, quatenus in aliquo territorio tolerantur, ibidemque, Principis permiſſu, ſedem ſuarum fortunarum fixerunt. Sed ut peregrinorum cauſa, qui ad tempus in Civtiate morantur, belli Periculo ſe exPonat Princeps, nemo prudens facile eidem ſuaſerit; quamvis illi tantiſper defenſione Civitatis ordinaria, ex Principis benignitate, fruantur.

§. XXI.

Succedit objectum, circa quod repreſſaliæ verſantur. Conſtituunt illud & perſonæ, & res civium illius Reip. quæ juſtitiam impertiri detrectat. De perſonis multi dubitant, (pp) an propter alienum debitum capi, & tantiſper, donec juſtitia rite adminiſtrata fuerit, detineri poſſint? Quam litem ita componere inſtituit *Zieglerus d. I M. L. 1. c. 37. §. 17.* ut putet, intereſſe, qua ex cauſa repreſſaliæ petantur; Quodſi enim noſtri

(pp) Negat ſigillatim*contra Franciſc Duarenus add. ne fil. pro patr.* Add. *Petr. Heig. L. 1. q. 12. n. 63.*

nostri homines apud repressaliatos, ut loquitur, detineantur, capi & detineri posse etiam eorum cives, apud nos inventos; quia hoc retorsionis jus sit, ut quandam talionem inferat, & per eam cogat repressaliatum, ut a facto suo desistat; Quodsi autem nulli nostri cives, sed bona tantum eorum ab repressaliatis apprehensa fuerint, & circa sola ea iniquitas contineatur, repressalias ad homines usque extendi non debere, sed potius in bonis eorum subsistendum esse. Atenimvero sicuti prior, quem *Zieglerus* præstruit, casus, dubio caret, ita solida ratio, cur in altero casu repressaliæ in personas exerceri non debeant, reddi nequit. Sit enim, licet, inæstimabilis res libertas, eique loco cedant omnia, non tamen inde consequitur, propter justitiam circa bona nostra ab aliena Civitate denegatam personas ejus detineri haud posse; nisi simul omnia prope bella, quippe quæ plerumque ob res & bona geruntur, injusta & illicita dicere velimus. Sane cum citra res vita nostra servari nequeat, hanc quoque per consequentiam petere & impugnare intelligitur, qui illis nos exuit & spoliat. Et sicuti fas est, propter debitum aliquando personam debitoris persequi,

qui, eamque carceri mancipare, cur non pari jure civem illius Reip. quæ in justitia circa res nostras administranda officium suum non facit, detinere liceat, cum hoc utique, quoad civiles effectus, omnium subditorum factum esse intelligatur, ut supra demonstravimus. Frustra objicitur, quod nulla sit proportio inter personas & bona; Illa enim, quæ hanc prærequirit, hypothesis, dudum explosa est; quæ si ita crude reciperetur, nec fures de patibulo suspendi, nec invasores violenti rerum, & raptores, per extrema jure coerceri possent. (qq)

F §. XXII.

(qq) Vid. *Pufendorff. d. J. N. & G. L. 2. c. 5. §. 16.* ubi de violenta rerum defensione ex instituto agit; Præterea hujusmodi temporaria retentio a libertatis ademtione magnopere differt; Hæc cum servitutem inducat, odiosa est, nec, nisi extremo necessitatis casu, permittenda; illa vero statum libertatis non tollit, utut hujus effectus tantisper, donec civis noster suum consequatur, suspendat. Quocirca mulierum etiam & infantum personæ secundum Jus Gentium non excipiuntur, sed tantum Civili quorundam Populorum Jure *Grot. c. l. §. 7. n. 3.* Quod & de illis, qui literis operam dant, eorumque rebus, tenendum est. Sed circa Legatorum personas, & bona, usu & consuetudine Gentium aliud observari solet; Quod tamen limitat *c. l. Grotius*, *modo non ad hostes nostros missi fuerint.*

§. XXII.

Transimus ad bona, in quæ repressalias exerceri posse, dubium non est. Ubi valde ineptum est, quærere, *an & contra Rectorum Civitatis bona repressaliæ locum inveniant?* quod faciunt Doctores quidam. Cum enim hi denegando justitiam immediate civem alienum læserint, eorum bona vel maxime repressaliis obnoxia esse debere, dubitari haud potest. Nam & violentum hoc remedium necessitas propterea expressit, *quod bona Imperantium sæpe non tam facile possint in manus venire*, ut loquitur *Grotius c. l. §. 2.* Quocirca eorum omnium, qui in ea Civitate, quæ civem nostrum læsit, existunt, bona huc pertinent, modo ex causa permanente ibi sint, non transeundi, aut exiguæ more causa. *Idem c. l. §. 7. n. 2.* ubi hanc rationem adjicit, quod introductæ sint pignorationes ad exemplum onerum, quæ pro exsolvendis debitis publicis indicuntur, quorum immunes sint, qui tantum pro tempore loci legibus subsint. Hoc præterea manifestum, ordinatim & regulariter repressalias tantum ad bona mobilia pertinere; Nam quomodo illæ in res immobiles, in territorio Civitatis, quæ læsionem intulit, constitutas, exerceri queant, nulla ratio facile, aut via, quæ non publicam in-

vasio-

vasionem & bellum involat, excogitari potest. Secus fuerit, si forte quis ex civibus Reip. quæ læsionem intulit, in nostra civitate bona immobilia habeat, tunc enim utique in illa repressaliæ exerceri possunt.

§. XXIII.

Circa modum, quem in repressaliis teneri, par est, observandum, proportionem semper, quantum fieri potest, servandam esse inter bona, quæ nobis propter justitiam denegatam absunt, & illa, quæ per repressalias apprehensa a nobis detinentur (*rr*). Finis enim repressaliarum est, ut, quod nostrum est, aut nobis debetur, consequamur, & damnum datum reparetur. Vtqui ad hunc obtinendum sufficit, bona per repressalias extero civi erepta tanti esse, quantus est valor eorum, quibus injuria privati sumus. Ex qua eadem æquitatis ratione illud etiam consequitur, si post exercitas repressalias satisfactio nulla sequatur, eoque res detentæ læso adjudicandæ veniant, residuum Dominis restituendum esse (*ss*): Illud vero non interest, executio repressaliarum per eum fiat, qui

F 2

(*rr*) Quomodo in hac causa conveniant repressaliæ & bellum, ostendit *Ziegler. d. Jur. Maj. L. 1. c. 34. §. 18.*

(*ss*) Vid. *Grot. d. J. B. & P. L. 3. c. 2. §. 7. n. 3.* ubi in Annotat. exemplum adjicit de Venetis, eosdemque ea æquitate usos fuisse, commemorat.

qui læsus est, easdemque petiit, an per Officiales, & Magistratus, si modo jussus & autoritas Principis accedat; quamvis posterius magis consultum esse, ne læsus affectui suo & vindictæ studio indulgens modum excedat, recte moneat *Zieglerus c. l. §. 23.*

§. XXIV.

Quid vero, si externæ Reip. Civis respectu eorum bonorum, quæ in læsi civitate possidet, simul Principis illius vasallus sit, an tunc quoad illa bona repressaliis locus erit? Affirmativa sententia potior videtur. Duplex enim vasallagium efficit, ut in tali Cive repressaliarum finis perinde, ac in alio, obtineri, & aliena Resp. ad justitiam administrandam sic excitari queat. Cumque denegatio justitiæ, ut in superioribus ostensum est, in statu Civili omnibus Reip. membris æque imputetur, ac si expresso & speciali consensu ad eam concurrissent, eo minus ægre ferre debet, bona sua in alieno territorio sita tantisper, donec læso damnum resarciarur, occupari, quo arictiori vinculo & ipse illius Domino obstrictus est; cui proinde de facto alterius Civitatis, quod ipsius proprium esse intelligitur, merito respondere tenetur. Inepti sunt illi

illi, qui volunt, respiciendum esse, in utra Civitate quis frequentius versetur; vid. *Jo. Jac. a Canibus Tr. d. Repressal. n. 34 seq* cum id nihil omnino ad rem facere manifestum sit; Imo posse aliquando Principem in subditos suos, qui nullo alio vinculo, nisi sola religionis communione, cum extero Principe connectuntur, repressalias exercere, si forte durius ille subditos diversa sacra professos habuerit, ex eo, quod ex Historia Brandenburgica supra retuli, exemplo patet. *Pufend Histor. Brand. L. 3. §. 25.*

§. XXV.

In quo finis Repressaliarum consistat, ex iis, quæ dicta sunt, luculenter patet, ut nempe aliena Civitas, quæ justitiam denegavit, & damnum intulit, ad illam administrandam, & hoc reparandum, adigatur; Quod si illa, ut par est, fecerit, relaxandum est sequestrum, & dimittenda bona, quæ hactenus occupata atque detenta sunt. Vnde consequitur, illa interim recte custodiri, &, ne detrimentum capiant, operam dari debere, ut si forte illa repetantur, aedemque reddi oporteat, restitutio in eadem bonitate, uti par est, fieri Possit. Sin autem extera Civitas, nulla Repressaliarum ratione habita,

bita, justitiæ administrationem denegare pergat, eoque omnis spes juris sui consequendi decollaverit, tandem bona per repressalias occupata læso adjudicari debent, ut ex illis eidem satis fiat, (*tt*) residuo, ut dictum, Domino ex naturali æquitate restituendo. Quocirca merito hoc loco notari meretur *H. Grotius* qui *c. l. §. 7. n. 3.* asserit, Jure Gentium ipso facto dominum rerum captarum acquiri ad summam debiti, & sumtuum. Cum enim repressaliæ hoc fine receptæ sint, ut, quod nobis debetur, per indirectum, & quasdam velut ambages, obtineamus, adjudicatio dominii locum habere non videtur, quoad spes superest, fore, ut aliena civitas, hoc remedio excitata, litem, justa sententia lata, tandem componat. (*uu*)

§. XXVI.

Is, qui damnum per repressalias passus est, sine dubio illius reparationem a Civitate

(*tt*) Quamvis enim sic læsus non consequatur, id, quod in obligatione est, eidem tamen per æquipollens satisfieri intelligitur; præsertim cum ipse ad Repressaliorum auxilium provocaverit. *Ziegler. d. J. M. L. 1. c. 34. §. 26.*

(*uu*) Equidem in bello res hostiles captæ, statim acquirentibus cedunt; sed repressaliarum aliam rationem esse, ex illarum fine liquido apparet.